

# EPISTULA LEONINA

## CCLVIII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-  
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM DUODESEXAGESIMAM (258)**

# ARGUMENTA

|   |              |
|---|--------------|
| <b>PRAEFATIUNCULA.....</b>                                    | <b>03-05</b> |
| <b>PACTA SUNT SERVANDA.....</b>                               | <b>06</b>    |
| <b>CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM.....</b>                         | <b>07</b>    |
| <b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>                        | <b>08-12</b> |
| <b>CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....</b>                       | <b>13-14</b> |
| <b>LITTERAE ACULEATAE QUAS NOBIS MISIT IVANUS HERASYM....</b> | <b>15-16</b> |
| <b>UCRAINIANA</b>   |              |
| <b>Paul Craig Roberts.....</b>                                | <b>17-19</b> |
| <b>John Mearsheimer (2).....</b>                              | <b>20-28</b> |
| <b>Glenn Greenwald.....</b>                                   | <b>29-31</b> |
| <b>Thomas Röper.....</b>                                      | <b>32-34</b> |
| <b>Gerd Schulze-Rhonhof.....</b>                              | <b>35-38</b> |
| <b>DUO LOTICHII HUMANISTAE EXCELLENTES.....</b>               | <b>39-40</b> |
| <b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>                               | <b>41-44</b> |

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

quonam modo tu te habes istis temporibus tumultuosis? Ubi columbae maximē pacifcae subito mutantur in harpyas bellicosissimas arma postulantes quam ponderosissima Ucrainiis danda, ut sine ullā condicione, sine ullo studio indutiarum et disceptationum quam acerrimē pugnent, usque dum Russi se dedant devicti? Quandonam talem assequentur victoriam Ucrainiae finalem? Num umquam? Et si umquam, qualis erit status rerum intra et extra Ucrainiam? Illae harpyae belli calefactrices obcaecatae non vident politicos occidentales, si pergent armis mittendis bellum prolongare et dilatare et exasperare, subire periculum ingravationis nuclearis exitiale. Legas, quaeso, ea quae de statu rerum ucrainiano dicunt Roberts, Mearsheimer, Greenwald, Röper, Schultze-Rhonhof, et postea scribas mihi, quaecumque tibi in buccam venerint. Hōc modo fiet, ut nos ambo, tu et ego, doctiores evadamus. Ne rixemur ore spumante, sed animo sobrio atque tranquillo in utramque partem disputemus. Audiatur et altera pars!

Ceterum dicitur die Dominicâ iterum praeses Franco-galliae electus esse Immanuel Rothschildianus globalistarum gerulifigulus, vexator Colobiatorum<sup>1</sup>, civium non-vaccinatorum immisericors „immerdator“<sup>2</sup>.

Tamen sunt, qui suspicentur suffragia esse falsata<sup>3</sup>. Nam difficile explicatu est, quonam modo numerus electorum Marinae competitricis horae tantum spatio incredibiliter dramaticê deminutus sit. Haud scimus, num fortasse Marinae idem acciderit quod iam Donaldo Americano; sed Marina non ita ut ille refragans clementer concessit repulsam putativam... Sic factum est, ut, ni quid intervenierit, Macrunculus gerontophilus maritus aviae (an avi?) per alterum lustrum pergit globalistis famulari et Colobiatos vexare et non-vaccinatos „immerdere“.

At nolo, cara Lectrix, care Lector, praefatiunculae verbositate abuti patientiâ tuâ: tolle lege sententias virorum rei optimê peritorum, perpende et compara inter se argumenta ab iisdem allata et in fine iudica ipse!

Pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat...

---


1 **Colobiātī**, -ōrum m.pl. *Les Gilets Jaunes*.

2 <https://www.youtube.com/watch?v=H8Hf-mqvgzE> «EMMERDER les non-vaccinés»: Emmanuel Macron «assume totalement». - <https://www.youtube.com/watch?v=G8OMxr4DxGs> MACRON: L'EMMERDEUR

3 <https://www.compact-online.de/wahlbetrug-in-frankreich-compact-dertag-jetzt-ansehen/>

[https://twitter.com/hashtag/Wahlbetrug?src=hashtag\\_click](https://twitter.com/hashtag/Wahlbetrug?src=hashtag_click) - Ernst Wolff 25. Apr.: „Wer das **#Wahlergebnis** in **Frankreich** als **#Sieg** der **#Demokratie** feiert, zeigt damit nur seine Verachtung für alles, was eine Demokratie ausmacht“.

**Dr. Nicolaus Groß  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Mercurii, 27. m.Apr. a.2022**



# **CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM**

Österliche Ausnahme von meiner chronogrammatischen Abstinenz

**I**NTEGRA **I**N TERR**I**S PAX  
POTESTNE REAPSE  
**S**INE AR**M**IS TANT**V**M  
**F**IER**I**

Ist sicherer Frieden auf Erden wirklich nur ohne Waffen möglich?

**HdF**

# CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

## Zum 23. April, dem Fest des heiligen Georg:

2022\* VIVat sanCtVs patronVs GeorgIVs gratIa DIVIa InVICtVs Contra InsIDIas DraConIs non VILIs et eXITiosI, oret pro nobIs.—

Es lebe der heilige Patron Georg, durch die Gnade Gottes unbesiegt gegen die Nachstellungen des nicht ungefährlichen und unheilvollen Drachens, er bitte für uns!



Breviarium Grimani, Brügge um 1515


## **Zum 24. April, dem 2. Ostersonntag, der Göttlichen Barmherzigkeit:**

2022\* DeVs VnVs Creator CVnCtI nostrI generIs hVManI VnICVs qVoqVe serVator et pro nobIs saLVator eXstabIt. - Der eine Gott, der Schöpfer unseres gesamten Menschengeschlechtes, ist auch der einzige, der erhalten und uns retten wird.

2022\* IesVs agnVs pIe MIseratVr MIserIs totIs nobIs. - Jesus, das Lamm, möge sich gütig unser aller Armen erbarmen.

2022\* MIserICorDIa PatrIs et FILII IesV ChrIstI et SpIrItVs SanCtI sIt nobIs totIs tVtrIX et nVnC In VIta Ista et sIne fIne In aeternItate, Vlrgo pVra oret pIe pro nobIs.

– Die Barmherzigkeit des Vaters und des Sohnes Jesus Christus und des Heiligen Geistes sei uns allen Schutz sowohl jetzt in diesem Leben als auch ohne Ende in der Ewigkeit, so möge die reine Jungfrau für uns gütig erbitten.




**Meister Francke, Christus als Schmerzensmann (um 1435), Hamburger Kunsthalle,**

**Foto: Hildegard Schuhmann**

2022\* IesVs ChrIstVs eCCe hoMo, eCCe, sIs nobIs In terrIs DeVs fortIs. –

Jesus Christus, siehe er ist Mensch, siehe, möge er für uns auf Erden der starke Gott sein! - vgl. Jo 20,28 – Thomas: „Mein Herr und mein Gott!“




**Der Ungläubige Thomas, rechter Teil eines Elfenbeindiptychons, Ottonisch, Ende 10. Jh.,  
Original der Staatlichen Museen Berlin, Kopie in der Kapelle der Spiritaner, Cruzeiro do Sul**

2022\* o IesV, sIs nobIs In terrIs DoMINVs noster et DeVs noster fortIs! -

**O Jesus, sei uns auf Erde unser Herr und unser starker Gott! - Jo 20,28 –**

**Thomas: „Mein Herr und mein Gott!“**



**Der Gute Hirte - Mosaikikone aus Zypern... an einem bischöflichen Gebäude...**  
**- Foto Hildegard Schuhmann**

**Zum 27. April, dem Fest des heiligen Petrus Canisius:**

2022\* PetrVs CanIsIVs presbYter SoCIetatIs IesV DoCtor VerVs atqVe Defensor pertInaX LVCIs VerItatIs fIDEI In patrIa nostra fVIt, oret pro nobIs. –

Petrus Canisius, der Priester der Gesellschaft Jesus war ein wahrhaftiger Lehrer und beharrlicher Verteidiger des Lichtes der Wahrheit des Glaubens in unserer Heimat, er bete für uns. –

Petrus Canisius SJ., 1521 – 21.12.1597 – Verfasser von drei Katechismen, wohl der bedeutendste Vertreter der Gegenreformation in Deutschland, wo sein Gedenktag am heutigen Tag begangen wird, in der Weltkirche am 21. Dezember, dem Tag seines Todes.



**Fresko mit dem Bild des Heiligen in der Heilig-Herz-Basilika in Zagreb**

**HAEC PIA CHRONOGRAMMATA**

**CONFECIT**

**PATER HERBERTUS DOUTEIL**

**BRASILIENSIS**

# **CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA**

**Hermann Nitsch**

\* 29. August 1938 in Wien

† 18. April 2022 in Mistelbach



H E R M A N N V S N I T S C H  
 A R T I F E X A V S T R I A C V S  
 D I E L V N A E P A S C H A L I S  
 O B I I T  
 A E T A T I S L X X X I I I  
 R . I . P .

M M X X I I

Der österreichische (Aktions-)Künstler  
**HERMANN NITSCH**  
 ist am Ostermontag  
 im Alter von 83 Jahren gestorben.  
 Möge er in Frieden ruhen.

## Hirsch Glik

\* 24. April 1922 in Wilna, damals Polen

† 1944 in Estland



Q V I N Q V I E S   V I G I N T I   A N N I S   A N T E

V I I I   K A L .   M A I A S   N A T V S

H I R S Z   G L I K

F O R T I S   B E L L A T O R   T E C T V S   F V I T

E T   B O N V S   P O E T A

L I N G V A E   I V D A E O - T E V T O N I C A E

M M X X I I

Am 24. April vor hundert Jahren wurde HIRSZ GLIK geboren.  
Er war ein tapferer Partisan und ein großer jiddischer Dichter.

**HAEC CHRONOGRAMMATA  
ARTIFICIOSE CONFECIT  
TOBIAS RÖSSLER**

# **LITTERAE ACULEATAE QUAS NOBIS MISIT IVANUS HERASYM CANADIENSIS**

D.18.m.Apr. a.2022 h.03:36 scripsit Ivan Herasym:

**Salve, Leo Latine.**

Epistulam Leoninam 256 hodie casu legi et bullio indignatione. Etiam in illis litteris Latinis nostris sunt intellectores Putini! Commendo tibi haec opuscula:

[https://www.stopfake.org/en/timothy-snyder-russia-s-genocide-handbook/?  
msclkid=a43bf464beb411ec88c1f13ac5cedb19](https://www.stopfake.org/en/timothy-snyder-russia-s-genocide-handbook/?msclkid=a43bf464beb411ec88c1f13ac5cedb19)

<https://www.atlanticcouncil.org/blogs/ukrainealert/the-west-must-choose-either-arm-ukraine-or-enable-putins-genocide/>

<https://www.faz.net/aktuell/feuilleton/medien/cdu-abgeordneter-erstattet-anzeige-wegen-aufrufs-zum-voelkermord-17945217.html?msclkid=d165c491beb311ecb0e1cb899e0e705a>

LAST, BUT NOT LEAST:

[https://www.washingtonpost.com/photography/interactive/2022/photos-of-bucha-ukraine/?  
msclkid=4d39783cbeb411eca7de813b7738e232](https://www.washingtonpost.com/photography/interactive/2022/photos-of-bucha-ukraine/?msclkid=4d39783cbeb411eca7de813b7738e232)

Nonne audiatur et altera pars? El 256 est infamia litterarum Latinarum.

**Ivan Herasym**

**Canada**

## **LEO LATINUS IVANO SUO INDIGNATISSIMO SAL.PL.DIC.**

Aculeatas sanê, Ivane maximê honorabilis, litteras mihi misisti idque ipso in tempore Paschali. Cum olim Fragrantiam meam - eximiê laudaveris, nunc in me inveheris vehementissimê. Ex Ivano laudatore factus mihi es Ivanus ille Imperator terribilis. Nullo autem modo, care commilito studiorum humaniorum vivaequae Latinitatis, laedere aut irritare volui animos Ucrainianorum; nullo quoque modo volui defendere Vladimirum Putinum. Sed volui affirmare ad Ucrainiorum ceterorumque Europaeorum salutem assequendam melius fore arma deponere deque condicionibus pacis agere quam bello prolongando efficere, ut gens Ucrainiorum, immo reliquae Europae gentes omnes deminuerentur et terra vastaretur. Nullo modo addubito isto bello multa fieri scelera immanissima, sed ea quae in quaternis actis diurnis nuntiantur a te allatis non puto esse verisimilia. Putinus officii secreti olim officarius certê scrupulis non abundat, sed idem genocida esse mihi non videtur. Eius animam minimê esse candidam pro certo habeo; tamen non puto eundem comparari posse cum Iosepho illo Chalybeio Colchorum omnium maximê terribili aut cum Adolfo Austriaco Germanorum ducum omnium nocentissimo. Isti quidem viri fuerunt alius farinae. Cavendum est ne illum nuntium de isto bello officiale credamus sive a Russiae sive ab Ucrainiae gubernatione publicatum atque propagatum. Nam nullo in bello priore tantum valuerunt tantâque cum subtilitate technicâ atque psychologicâ excogitatae et ad effectum adductae sunt instigatio et falsatio nuntiorum i.e. --- propaganda!!! Ceterum procul dubio istud bellum fit in Ucrainâ et Ucrainiani maximam miseriam patiuntur effectu istius; tamen iidem sunt - sive ipsi sciunt sive nesciunt - vicarii tantum Americanorum. Agitur enim reverâ de certatione Russiae et Americae. Selensciani nihil sunt nisi neurospasta Americanorum sive - ut accuratius

dicam - globalistarum. Scilicet ipse *Biden* ("Iosephulus somniculosus") senex decreitus et corruptissimus istiusque filiolus male mōratus et drogomanicus nihil sint nisi eorundem neurospasta. Sapienter mihi iudicare videntur *Roberts*, *Mearsheimer*, *Röper*, *Greenwald*, *Schultze-Rhonhof* ceterique quorum sententiam paginis sequentibus Latinē reddidi. Haurias, quaeso, ex his fontibus, mihi postea scribas, quidnam tibi de iisdem videatur. Spero nos ambos ex commercio litterarum futuro multa discere posse.

Denique intimo ex corde spero iram tuam lenitum atque placatum iri teque mansurum esse fidelem lectorem Epistularum Leoninarum. Bonus Deus Omnipotens, mi care Ivane, te ducat ad nova pascua teque tueatur annis innumeris. Pancraticē vale et perge mihi favere.


Medullitus te salutat

**NICOLAUS LEO LATINUS**

<https://www.pi-news.net/2022/04/paul-craig-roberts-ein-atomkrieg-ist-am-horizont/>

# Paul Craig Roberts: „Imminet BELLUM ATOMICUM“

d.10. m.April a.2022



**PAULUS CRAIG ROBERTS (83) sub Ronaldo Reagan praeside Civitatum Unitarum  
fuit ministri financialis vicarius.**

Bellum atomicum nobis imminet. Quia politici ineptiores sunt quam ut res verē factas agnoscant, iter quod fit versus bellum atomicum non potest impediri.

Nonnulli lectores me rogaverunt, quā de causā Russia provocaretur eo quod Finnia fieri vellet membrum NATOnis. Eādem de causā, quā provocetur tali voluntate Ucrainiae: Russia enim non patitur bases ruchetarum US-Americanas ad limitem suum positas.

Civitates Unitae hōc tempore nondum habent ruchetas hypersonicas, sed serius aut citius tales habebunt. Tales ruchetae si ad limites Russiae positae essent, per 3 aut 4 minutus pertingerent Moscuam, quo procul dubio in periculum subduceretur Russiae existentia. Praeter Finniam

Vassintonienses bases cupiunt collocare in Suetiâ et in civitatibus Balticis necnon iam habent bases ruchetarum in Poloniâ et Dacorumaniâ collocatas, quas cremlinus iam declaravit non esse comprobabiles.

Non consentaneum est, ut Russia praeveniens impedit, ne collocentur bases ruchetarum in Ucrainiâ et Finniâ, si patitur bases in Poloniâ atque Dacorumaniâ iam positas remanere. Verisimile est Russos mox interventuros esse ad has duas bases tollendas, ut se ipsos defendant.

Meretricii diurnarii occidentales summam operam dederunt, ut ubique terrarum excitarent de Russiâ indignationem. Itaque homines indignati non animadvertunt gubernationes occidentales sine ullo sensu responsalitatis minari Russiae basibus ad limites eiusdem positis.

Pro eo ut intellegant bases collocare esse Russiam offendere, homines falsâ doctrinâ imbuti credunt Russiae responcionem ad minas existentiales datam esse aggressionem.

Evidem iam pridem verbis effero istis provocationibus Russiae denique lineam rubram transgressuris denique effectum iri bellum atomicum. Ex longo iam tempore cremlinum vitupero, quod istas provocationes non repulit reprobatione fortiter enuntiatâ. Russia in Ucrainiâ occasionem habuit ad id faciendum, sed cremlinus elegit modum dicendi, ex quo non satis clarê apparuit nationes quae foverent aggressiones Americanorum contra Russiam, experturas esse effectûs calamitosos. Minus periculosum est hoc demonstrare in terrâ Natonis experite quam in terrâ Natonis participe.

Praeterea cremlinus nimis diu cunctatus est, antequam in Ucrainiâ intervénit, eoque Civitatibus Unitis tempus reliquit octo annorum, quibus eaedem milites ucrainianos armis instruerent et instituerent. Si Russia in Ucrainiâ cunctaretur (sc. minis respondere), in Finniâ aut alibi experiretur idem problema sibi oppositum, quod adderetur illis duabus basibus ruchetarum in duabus civitatibus natonianis prope limitem Russiae iam collocatis.

Procul dubio Civitates Unitae unâ cum Natone viam ingressae sunt, quae directê dicit ad bellum atomicum.

Quia in mundo occidentali (de hōc conflictu) nihil licet publicare et disputare nisi doctrinam officialem „narrativam“, nihil fieri potest, quo sistatur ista inclinatio insana iter ad bellum atomicum faciendi. Immo ne id quidem fieri potest, ut de isto periculo disputetur in occidentalibus circulis non-politicis. Denuo mundus tamquam somnambulus caespitat in bellum, sed istud bellum erit atomicum ideoque ultimum.

Cremlinus autem eo quod per annos modestê egerat colloquiis cum occidentalibus habendis confisus, nihil effecit nisi ut provocationes accelerarentur atque gravescerent. *Stoltenbergius* Natonis praepositus petit ut Finnia et Suetia fierent membra Natonis iisque promittit hoc factum iri solito celerius necnon verisimile est eum illis promittere alia quoque commoda, e.g. copiam pecuniae quam maximam. Aliquando Russia existentiae suae servandae causâ cogetur, ut gubernaculum capiat commodorum Vassintonii negligens.

**Paul Craig Roberts** (83) fuit ministri financialis vicarius sub praeside *Ronald Reagan*. Idem unus ex editoribus fuit periodici, c.t. „*Wall Street Journal*“ necnon iam diu publicista politicus bene notus. *Textus originalis anglicê scriptus d.8. m.Apr. a.2022 publicatus est.*

**SCRIPSIT  
PAUL CRAIG ROBERTS  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

# **PROFESSOR MEARSHEIMER QUID SENTIAT DE BELLO UCRAINIANO**



**Prof. John Mearsheimer respondet a Tian Wei moderatrice Televisionis Sinensium Globalis (CGTN = China Global Television Network) rogatus.**

<https://www.youtube.com/watch?v=74iAMskV68Y>

**John Mearsheimer responds to criticism of his Ukraine theory**

**TIAN WEI:** Quid tibi videtur de disputatione, quam homines habent de theoriâ tuâ, quâ dicis politicos occidentales Russiam in tantas angustias compulsiisse, ut Russi in Ucrainiam invaderent bellum gerentes?

**JOHN MEARSHEIMER:** Puto in occidente, praesertim in Europâ et in Civitatibus Unitis, diurnarios sententiam meam ferê omnes prorsus reicere. Et pro eo, ut Natonem et occidentales accusent istius discriminis aggravandi, isti causis manifestis malunt accusare *Vladimirum Putinum*. Ceterum adnotem, quod spectat ad hemisphaeram occidentalem, Civitates Unitae observant doctrinam illius *Monroe*, i.e. Civitates Unitae non putant nationes hemisphaerae occidentalis ius habere, quo utantur propriâ ratione rerum externarum. Tempore discriminis missilium Cubanensis, cum essem iuvenis, nos non putavimus Cubam habere ius Sovietos invitandi, ut in

Cubâ collocarent missilia. Eodem principio fundamentali, quo Civitates Unitae utuntur in hemisphaerâ occidentalî, Russi utuntur erga Ucrainiam. Russi pro certo habent eo quod Ucrainia fiat membrum Natonis, sibi imminere periculum existentiale. M.Apr. a.2008 Putinus enim quodammodo lineam in harenâ duxit. Qui dixit istam rem non licere fieri. Istâ re Russiam in periculum adduci existentiale. Omnia autem quae inde ex illo tempore facta sunt convenient cum hac thesi fundamentali.

**TIAN WEI:** Dicis autem periculum existentiale. Sed quaerendum est: quis scit venire in cerebrum Praesidis Putini, ut exactê intellegat, quonam modo definiatur *periculum existentiale*.

**JOHN MEARSHEIMER:** Idem cogitat id, quod Nato stat ante portas Russiae, esse periculum militare atque politicum sibi prorsus non acceptabile. Itaque puto hôc in casu non multum quaerendum esse, quidnam sentiat dicens id esse periculum existentiale. Concedo quidem esse haud paucos homines occidentales, qui dicant id non esse periculum existentiale, et eo quod Nato praesens sit in Ucrainâ, vitam Russiae non periclitari. Iстis autem respondeo: Ego non curo, quid isti cogitent. Nam in hac re nihil valet nisi id quod cogitat *Vladimirus Putinus*. Si Putinus eiusque praefecti militum cogitant hoc esse periculum existentiale, nos debemus valdê cavere cum eodem agentes. Quia idem habet decem milia telorum nuclearium.

**TIAN WEI:** Una ex causis, quas prius attulisti, ut demonstrares thesin prius allatam, est id quod dixisti Russiam nolle *Chiovam* expugnare. Tamen Russi actionibus suis militaribus conati sunt illam urbem et loca ultra eandem sita capere. Ergo quatenus putas hoc congruere cum theoriâ tuâ? Multi hoc quaerunt.

**JOHN MEARSHEIMER:** Puto quod spectat ad Russicam operationem militarem, eadem bellê quadrat ad theoriam meam, aliter ac id quod solent sentire diurnarii Americani: Putinum studere toti Ucrainiae expugnandae, ut faceret eandem partem Russiae. Manifestum est eum conatum esse Chiovam capere idque ei non successisse. At etiamsi haec res ei successisset, si expugnationem Chiovae coniungeres cum aliis commodis, quae Russi assecuti sunt, haec nequaquam quadrarent ad consilium totam Ucrainiam expugnandi.

**TIAN WEI:** Dicas mihi, quonam modo hic status rerum ad finem venire possit. Quid est scaenarium optimum, quid pessimum?

**JOHN MEARSHEIMER:** Nihil tibi dicere scio nisi me non videre, quonam modo istud veniat ad finem, hac de causâ quae sequitur: Russiae non licet evadere victa. America ex alterâ parte decrevit, ut fieret res publica omnium princeps, i.e. ut devinceret Russiam intra Ucrainiam. Insuper suffocaturi sumus Russiae oeconomiam. Itaque hîc habemus talem condicionem, quali Russia debet vincere, et America debet vincere. At ambae vincere non possunt. Quaenam est solutio problematis?

**TIAN WEI:** Quae est solutio?

**JOHN MEARSHEIMER:** Nescio.


**TIAN WEI:** Num pacem omnino non exspectas?

**JOHN MEARSHEIMER:** Pacem omnino non exspecto. Necnon affirmo tibi esse nonnullos homines in Civitatibus Unitis variarum partium politicarum, qui sentiant hoc bellum factum iri per complures annos. Spero quidem hoc non esse verum. Spero aliquid factum iri non praevibile. Aliquid mutatum iri ratione non praevisibili. Sed praeter hoc nescio narrare tibi aliquid laetabile de fine istius rei.

**COLLOQUIUM  
IPSIUS TIAN WEI  
CUM IOHANNE MEARSHEIMER HABITUM  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

<https://globalbridge.ch/ukraine-es-ist-ein-krieg-zwischen-den-usa-und-russland/>

## Ucrainia: «Hoc est bellum inter Americam et Russiam»



John J. Mearsheimer Americanus politologus

d.19. m.Apr. a.2022

*Iohannes (John) J. Mearsheimer, politologus et relationum internationalium specialista, professor emeritus Universitatis Chicagoensis, de bello ucrainensi collocutus est cum Catharinâ van den Heuvel, editrice americanâ periodici hebdomadalis, c.t. «The Nation», et viduâ Stephani F. Cohen professoris disciplinae russisticae a.2020 mortui.*

Multas gratias vobis ago, quod me invitavistis, ut hîc essem. Libenter recordor itinera nostra in Germaniam facta, praesertim illa tempora quibus Stephanus et ego disputavimus de Ucrainâ. Assentior quoque tibi, Catharina, dicenti istud discrimen esse inde ex altero bello mundano periculosissimum. Puto idem esse etiam periculosius quam discrimen illud Cubanense, sed hoc dicens nolo periculum illius discriminis minus facere quam fuit. Sed hîc agitur de bello, quod fit inter Civitates Unitas et Russiam, neque ullus finis est exspectabilis. Animo fingere non possum, quomodo hoc bellum mox finiatur. Cogito autem periculum ingravescendi esse valdê magnum. Primo periculum esse, ne res ingravescat eo quod Civitates Unitae reverâ pugnant contra Russiam et ambae partes directâ ratione *militari* inter se collidantur, quod usque nunc numquam est factum. Necnon cogito secundo hîc magnum periculum imminentem ingravationis nuclearis. Non dico hoc esse verisimile, sed nôvi historias, ex quibus appareat, quomodo talis res ad effectum adduci possit. Ergo quaerendum est: Quomodo in tantas angustias adducti sumus? Quae sunt causae? Multum valet hanc quaestionem perscrutari, quia multimodis valet ad rationem cogitandi Russicam intelligendam.



*Ecce Natalia Galibarenko, ambasciatrix Ucrainiae, «caput missionis ab Ucrainiae ad Natonem factae», et Ludovicus Decamps, «Natonis dispensator generalis agentiae communicationis atque informationis», inter se gratulantur in conventum cooperationis technicae renovatum – d.17. m.Ian. a.2022, uno mense, postquam Russia a Civitatibus Unitis et Natone postulavit satisdationes securitatis. Istâ quoque re clarê provocata est Russia.*

Si intellegere vis, quomodo Russi cogitent de isto discriminis, necesse est ut intellegas istius *causas*. Opinio nunc praevalens, quam ego scilicet reiciam, fert *Vladimirum Putinum* esse aut inde ex nativitate suâ aggressorem aut animo firmo decrevisse, ut restauraret sive ipsam Unionem Sovieticam sive novam eiusdem formam; eundem esse expansionistam atque imperialistam. Meâ quidem sententiâ haec opinio est falsa. Reverâ agitur de studiis occidentalium Ucrainiam propugnaculum faciendi occidentale ad limitem Russiae situm.

### **Problema effectum esse Natone versus orientem expansâ**

Scilicet partem huius stratagematis partem principalem esse expansionem Natonis. Evidem sentio hoc originem repetere a summitate Natonis Bucarestensi m.Apr. a.2008, in quâ decretum est, ut et Georgia et Ucrainia fierent partes Natonis. Illo tempore Russi clarê atque perspicuê dixerunt se hoc non comprobare seque neque pati Georgiam neque Ucrainiam fieri partem Natonis. Necnon Russi declaraverunt se talem expansionem habere pro *periculo existentiali* sibi imminenti. Multum valet intellegere haec verba. Russis iam ex initio expansio Natonis orientalis videbatur esse periculum existentiale sibi imminens. Multi quidem homines occidentales non credunt eâdem expansione reapse periclitari existentiam Russorum, sed id quod illi homines credunt non valet, nam nihil valet nisi id quod

*Putinus* eiusque collegae Russi cogitant, et iidem expansionem Natonis orientalem habent pro periculo suae existentiae imminenti.

Ut verum confitear, cogito esse indicia evidentissima, ex quibus appareat hīc non agi de *Putini* imperialismo, sed, ut commemoravi, de expansione Natonis. Si perlēgeris eius orationem d.24. m.Febr. habitam, quā causas affert, quibus Russia Ucrainiam invaserit, agnosces eum loqui de expansione Natonis deque periculo existentiali, quod sentit eādem expansione Russiae imminere. Si perquisiveris, quomodo *Putinus* copiis suis in Ucrainā utatur, difficile tibi erit credere Russos velle Ucrainiam expugnare et occupare et partem facere Russiae maioris. Si *Selenskium* audis dicentem de solutione problematis possibili, animadvertis primum quod attingat esse thema Ucrainiae neutralis. Inde tibi apparent reverā agi de expansione Natonis deque Ucrainiae neutralitate. Nullum est indicium, quo appareat Putinum reverā velle Ucrainiam facere partem Russiae.

Nulla etiam sunt indicia, quibus appareat eum dixisse hoc fieri posse seque in animo habere hoc facere. Licet opinari eum ex animo diligere ideam Ucrainiae Russicae. Verisimile etiam est eum ex animo diligere ideam Unionis Sovieticae reversae. At ipse declaravit has ideas non posse ad effectum adduci; itaque omnis qui cogitet *Putinum* hoc velle conari, cogitat falso. Hoc apparent ex eius ipsius verbis. Gauderem si quis mihi demonstraret, ubi ille in ratione suā politicā explicandā reapse dixerit id esse curandum, ut Russia maior fieret aut Unio Sovietica restauraretur. Si tibi – (*i.e. Catharina van den Heuvel, interpres*) - ut mihi quoque – persuasum est eum credere Russiae imminere periculum existentiale, nos ambo credimus Putino *vita Russiae videtur periclitari*. Si autem īdem tali in condicione versatur, non licet ei evadere victus. Si tibi imminet periculum existentiale, non licet tibi vinci. Nulla tibi est electio: necesse est vincas.

### Civitates Unitas id studere, ut Russiam vinctant

Condicionem Russiae perscrutati veniamus ad Americanos. Quid faciunt Americani? Id quod nos (*i.e. Americani*) facimus est idem ac illud quod iam fecimus discrimine d.22. m.Febr. a.2014 exorto: Subsidia duplicamus. Decrevimus enim, ut Russiam in Ucrainā vinceremus. Ut illis in Ucrainā inferremus cladem decisivam. Et ut simul suffocaremus Russiae oeconomiam. Et ut Russis imponeremus malas sanctiones, ut

debilitarentur. Ut aliter dicam: Decrevimus ut nos vinceremus et illi vincerentur. Insuper administratio *Bideniana* et praeses ipse labores exanclaverunt enormes ad modum dicendi exasperandum ita, ut Russi diffamarentur tamquam effectores omnium malorum, sed nos Americani laudaremur homines boni et ut homines animis fingerent sub istâ condicione nullum permitti compromissum, quia non liceret inire ullum compromissum cum diabolo ipso. Quae cum ita sint, oportet nos (*i.e.* *Americanos*) quoque vincere.

Scis *Iosephum Bidenum* cladem accepturum fuisse calamitosissimam, si Russi hōc bello parerent victoriam. Ut modo tibi dixi, Russi debent hōc bello vincere, quia idem gerunt ut se defenderent contra periculum existentiale. Ergo quaerendum est: Quid restat nobis? Utraque pars debet vincere. Sed fieri non potest, ut vincat utraque – non sub hac condicione, cui sumus expositi. Quonam modo inveniamus solutionem disceptando? Non puto talem inventum iri. Non video Russos quoquo modo concedere, neque video Americanos quoquo modo concedere. Quid ergo factum iri verisimile est? Nostrâ parte et ipsâ in Russicâ parte nunc quidam suspicantur hoc bellum perdurare posse per complures annos. Ut aliter dicam: Bellum fit inter Americam et Russiam, quod protrahetur per annos.

Scio quidem nos (*i.e. Americanos*) hōc tempore non esse pugnis involutos, sed isti bello sumus quam propinquissimi. Quid ergo quaeras, num fieri possit ut nos in istam rem intrahamur. Gubernatio *Bideniana* vehementer urgetur, ut introducat zonam volandi interdictam et ut humanitatis causâ in Ucrainiam invadat etc. etc. Usque nunc *Bidenius* urgentibus restitit, sed num resistet in sempiternum? Et quid fiet, si militari casu interveniente in pugnas intracti erimus? Profecto fieri poterit, ut America et Russia in Ucrainiē directē inter se pugnent. Tum veniemus ad quaestionem *ingravationis nuclearis*.

Cogito si Americani intracti erunt in pugnam cum Russis faciendam et fiet bellum usuale in Ucrainiā aut in aëre supra Ucrainiam, Americani Russos esse superaturos. Cum Ucrainiani ratione militari Russis tam bene resistant, nonne mente fingis futurum fuisse, ut Americani Russos superarent et pugnâ aerî et terrestri, nonne? Si hoc fiet, nonne fieri posse tibi videtur, ut Russia sub hac condicione arma capiat atomica? Mihi quidem videtur hoc fieri posse. Evidem vehementer studi historiae militari pernoscendae. Studi pernoscere, quomodo fieri potuisset, ut

Iapones decernerent, ut a.1941 in *Portu Margaritarum* impetum facerent in Civitates Unitas. Ut Germani inter discrimen mensis Iulii a.1914 incoharent Primum Bellum Mundanum. Ut Aegyptii a.1973 impetum facerent in Israeliam.

His in casibus omnibus decretores sibi visi sunt versari in condicione desperatâ, necnon sciverunt se quodammodo aleas iacentes stratagemate ûti incredibiliter periculoso. Attamen senserunt sibi non relictam esse decernendam rem alteram.

Ergo hîc loquimur de Russiâ, quae credat sibi imminere periculum existentiale, quae credat agi de vitâ suâ servandâ, et quam nos compellimus ad suam agendi extremitatem. Loquimur de Russiâ destruendâ. Non sôlum agitur de Russiâ in Ucrainiâ vincendâ, sed etiam de eius oeconomiâ destruendâ. Ista cum sit status rerum insigniter periculosus, miror, quam leviter nos hoc thema tractemus.

Ceterum puto hoc magnam partem effectum esse eo quod multi homines hodie de hôc problemate deliberantes, non adoleverunt inter Bellum Frigidum, sed aetate unipolari. Inter Bellum Frigidum – hoc autem Iacobus (*Jack F. Matlock Jr.*) eiusque coaequales etiam melius scit explicare quam ego – diu et diligenter deliberabamus de bello atomico. Diu atque diligenter deliberavimus de relationibus, quae intercesserunt inter Civitates Unitas et Unionem Sovieticam deque causis, quibus effici posset bellum atomicum. E contrario homines qui adoleverunt aetate unipolari, haec themata multo negligentius tractant. Itaque cogito istum statum rerum esse periculosissimum. Porro adnotem: Etiamsi Russi et Americani non directê inter se pugnaverint, sed Ucrainii potuerint Russos debilitare illisque clades inferre graviores, fieri poterit, ut Russi arma capiant atomica. Hoc fieri poterit. Estne veri simile? Non est, sed fieri poterit. Itaque istud periculum valdê timeo, et oportet istud timeant etiam plerique Americani, praesertim plerique Europaei.

Consideranti mihi ergo relationes Civitatum Unitarum Russiaeque hodie valentes videmur cum Russis in bello versari. Quamquam Americani non pugnant contra Russos in ipso campo bellico, tamen condicio est valdê periculosa.

Quidnam de Ucrainiâ? Nonne Ucrainii possunt alteram rationem inire agendi? Nonne eorum ipsa terra destruitur? Dicat aliquis occidentales, praecipuê Americanos paratos esse hoc bellum gerere usque ad ultimi Ucrainii mortem. Et in fine funditus vastatum iri terram Ucrainianam. Nonne fieri poterit, ut Ucrainiae atque Ucrainii ipsi dicant satis diu bellum gestum esse istique bello finem imponant? Doleo me non credere hoc fieri posse. Credo Americam Ucrainis non permissuram esse, ut contractum faciant cum Russis, qui Americae displiceat. In ephemeride c.t. «*Washington Post*», die Lunae symbola est publicata, in quâ scriptum est gubernationem eiusque socios natonianos valdê sollicitari, ne Ucrainii cum Russis contractum inirent, quo Russi viderentur viciisse aut reverâ concederetur, ut Russi saltim quadamtenus vicissent. Nos nolumus talem contractum fieri. Ut iam dixi, gubernationi Bidenianae curae est Russiae inferre cladem decisivam. Si Ucrainii statuerint, ut contractum ineant, quo Russiae concedant victoram magnam, Americani hoc reprobantes cum nationalistis ultradextris cooperabuntur, ut *Selenskius* aut eius successor potestate privetur. Itaque nego ullo modo fieri posse, ut Ucrainia ipsa finiat istud discrimen. Nihil video nisi istud discrimen etiam etiamque ingravescere.

Denique in memoriam revoco *Georgium Kennan* annis nonagenariis saeculi praeteriti dixisse expansionem Natonis esse peccatum tragicum, quo efficeretur novum bellum frigidum. Primo *Kennan* visus est erravisse. Prima enim pars expansionis Natonis facta est a.1999 eâdemque factâ nos (i.e. Americani) salvi evasimus. Alteram quoque partem a.2004 factam evasimus salvi. At cum m.Apr. a.2008 decreta est tertia pars, quâ includerentur etiam Georgia et Ucrainia, manifestum fuit nos modum excessisse. Nunc dolentes videmus vaticinium *Georgii Kennan* ad veritatem adductum esse.

Gratias tibi ago.

**ACROASIN**

**IOHANNIS MEARSHEIMER**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

# GLENN GREENWALD DIURNARIUS QUID SENTIAT DE PROPAGANDĀ BELLICĀ



**GREENWALD**

**The War in  
Ukraine**

*Glenn Greenwald de caede Buchensi massali: “Summē sollicitus accepi imaginibus conspectis, quae publicatae erant a natione belli particepe, homines declarare nunc esse tempus bellum mundanum tertium gerendi”* <https://www.parisbeacon.com/73699/>

Paris Beacon d.04. m.Apr. a.2022

**Glenn Greenwald** Americanus diurnarius hac die Dominicā verbis extulit fieri potuisse, ut imagines cadaverum humanorum in oppido Bucha prope Chiovam sito prostratorum falsatae consulto divulgarentur in retificiis socialibus; itaque *Greenwald* ursit homines ratione usos cogitare pro eo, ut temere se dederent animi commotionibus. Ídem diurnarius neminem non manipulari posse mediis socialibus lamentatus friguttivit: „*Valdē sollicitor videns, quomodo homines aliquibus photographematis scopocinematicisque conspectis, quae publicata sunt a gubernationibus bello involutis, tam vehementer commoveantur, ut declarent nunc tempus esse bellum mundanum tertium gerendi.*“

In hōc contextu ídem diurnarius adhortatus est, ut nuntii reciperentur „*cum scepticismo*“, ita ut ephemeris americana c.t. „*The New York Times*“, symbolis suis addere solet verba quae sunt „*fieri non potuit, ut ratione independenti haec nuntiata vera esse comprobarentur.*“

Secundum *Greenwaldium* in occidentalibus retificiis socialibus quicumque reprobat alias nationes conflictū ucrainiani participes, solet haberi pro „speculatore cremlini“. Necnon ídem monuit his viginti annis mundum

expertum esse „*resultata monstruosa esse inevitabilia, si propaganda bellica non posset in dubium vocari*“.



Ex alterā parte cum in aliis conflictibus etiam mortes officialiter confirmatae non haberent tantos effectūs, homines sobrii essent oportere pro eo, ut postularent „bellum mundanum tertium“. Imprimis in memoriam revocavit numerum officialem civium, qui prioribus sex vel octo septimanis invasionis americanae in Iraciam mortui essent, excessisse octo milia. Greenwald verbis extulit: „*Si mihi liceret votum facere politicum, voverem, ut de omnibus bellis – imprimis de iis quae geruntur a Civitatibus Unitis earumque sociis – a diurnariis tantā cum attentione referretur quantā de bello ucrainensi, et ut eorundem victimae tantam acciperent empathiam. Haec si fierent, mundus esset multo melior.*“

### **“Nulli incolae locales fuerunt victimae”**

Hac die Dominicā minister Russicus defensionis dixit imagines, quibus monstrarentur cadavera hominum civilium in viis huius oppidi ucrainiani prostratorum, esse figmenta scaenica, quibus deciperentur diurnarii occidentales. Qui verbis extulit eo tempore, quo oppidum custodiretur a militibus Russis, nulos oppidamos victimas fuisse actionum violentarum. Russos nullo tempore clausisse exitūs *Buchae* et omnes incolas occasionem habuisse liberē oppidum relinquendi versus septentrionem, etiam versus Russiam Albam. Ídem minister declaravit Russos milites *Bucham* reliquisse die 30. m.Mart., sed imagines editas esse quattuor diebus postea, cum membra officii securitatis Ucrainiani apparerent.

Secundum Russos res verē factae „irrefutabiliter demonstrant photographemata et scopocinematia Buchae facta esse figmenta scaenica a regimine Chiovensi ad diurnarios occidentales decipiendos composita, qualia iam facta sunt in maiocomio Mariupolitano aliisque in urbibus”.

Imagines cadaverum, quae prostrata sunt in viis Buchaensibus, et quorum nonnulla manibus erant vinctis, publicatae erant nocte diei Saturni. *Mikhail Podoliak* consiliarius officii Praesidis Ucrainiae declaravit illos homines civiles fuisse inermes, nullo modo minatos esse, interfectos esse a militibus Russicis.

**EA QUAE**

**GLENN GREENWALD**

**SENTIT DE PROPAGANDĀ BELLICĀ**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

[https://www.anti-spiegel.ru/2022/warum-die-meldungen-ueber-angebliche-russische-kriegsverbrechen-in-buchscha-eine-luege-sind/?doing\\_wp\\_cron=1650051004.7167520523071289062500](https://www.anti-spiegel.ru/2022/warum-die-meldungen-ueber-angebliche-russische-kriegsverbrechen-in-buchscha-eine-luege-sind/?doing_wp_cron=1650051004.7167520523071289062500)

## Propaganda bellica

# QUARE RUSSOS IN OPPIDO BUCHAE BELLICA SCELERA COMMISISSE MENDACIUM SIT

*Ucrainia contendit milites Russos in oppido Buchâ multos incolas civiles sclopetando interfecisse. At quare corpora eorum mortua inventa sunt post quattuor demum dies?*

*d.3. m.Apr. a.2022 h.19:04 scripsit Thomas Röper, Latinê redditit Leo Latinus*



Auctor periodici, c.t. *Anti-Spiegel*. **Thomas Röper**, vir Germanus a.1971 natus, in negotiationibus ministracionis financialis in Europâ orientali et Russiâ munera gessit praesidis et consiliarii. Qui ex 15 annis vivit in Russiâ, profluenter loquitur linguâ russicâ. Hodie habitat Petropoli. Imprimis media diurnaria criticê perquirit, e.g. imaginem Russiae in Germaniâ descriptam necnon geopolitica et oeconomica.

Diurnarii non desinunt nuntiare exercitum Russicum *Buchae* in oppido ucrainensi prope *Chioviam* sito aliquot centum homines civiles suppicio affecisse capitali. E.g. in *Speculo Hammaburgensi* nuntiantur haec:

*„Camerâ ex autoraedâ vehenti cinematographatur; quâ nihil monstratur nisi mors. Passim humi prostrati sunt homines exanimi, inter quos infantes sunt, multorum adultorum manus post dorsum vinctae sunt ligaminibus capularibus. Post cameram auditur vox hominis graviter gementis. Hoc scopocinema receptum est Buchae, oppidulo in directionem boreali-occidentalem a Chioviâ capite Ucrainiae sito. Ministerium defensionis ucrainianum hanc scaenam crudelem publicavit friguttiendo (...) Thore Schröder relator Speculi Hammaburgensis refert ex oppido Buchâ cadavera die Dominicâ post meridiem adhuc iacere in viis. Unum corpus bracchiis est in dorso vinctis, apparet alia sclopetando de birotâ deiecta esse, res emptas adhuc iuxta se habentia. In plerisque cadaveribus apparebant vulnera sclopetando*

*effecta. Bucha oppidum per mensem ferê a Russis occupatum erat. Anatolius Fedoruk, Buchae burgimagister dicit milites Russos illo tempore interfecisse circiter trecentos incolas mulieres virosque.“*

Hae sunt criminaciones graves. Itaque diurnarii occidentales ingentem grandinem nuntiorum emittunt et politici postulant novas sanctiones Russiae imponendas. At difficultas in eo est, quod tota res est mente facta. Quod facile est demonstratu.



### **Nuntius burgimagistri scopocinamate emissus**

Scilicet Ministerium Defensionis Russicum has criminaciones denegat et nuntiet exercitum Russicum Bucham iam d.30. m.Mart. reliquisse et dicat Russiam ab Ucrainâ provocari.

Scilicet non esse necessarium, ut credas verba huius Ministerii. At oportet credas burgimagistro Buchae oppidi. Qui ante nonnullos dies scopocinema mittens laetê nuntiavit diem 31. m.Mart. fore diem oppidi Buchae historicum celebrandum, nam oppidum liberatum esse eo quod exercitus Russicus abiisset. Eo nuntio burgimagister confirmavit nuntium russici ministerii defensionis. Quid factum est quattuor diebus sequentibus?

Statim quaerendum est, cur burgimagister in scopocinamate suo tam bono animo fuerit, pro eo, ut gravissimê accusaret milites Russicos bellici sceleris crudelissimi, quod a gubernatione Chioviensi tertio demum die m.Apr., i.e. quattuor demum diebus post abitum Russorum. Num aliquot centum cadavera, de quibus burgimagister nunc subito loquitur, et quae in scopocinamate Chioviensi ubique apparent, per quattuor dies omnino non conspecta sunt? Quare post quattuor demum dies inventum est scelus belli putativum et nuntiatum?

Alterum quoque quaerendum est: Profecto nunc cadavera in oppido iacent ubique. At quis omnes hos homines interfecit et quando hoc factum est? Patet hoc non factum esse illo tempore, quo Russi oppidum superviderant, nam alioquin burgimagister in scopocinemate suo non fuisset animo tam bono, sed graviter incriminatus esset exercitum russicum.

Quidam Russus diurnarius, qui unâ cum exercitu russico versatus est Buchae, rettulit homines Buchaenses in initio timuisse Russos, sed timorem illorum mox deminutum esse, cum milites russici hominibus gratis dedissent benzinum ad generatra fluenti electrici implenda et nutrimenta siccata et medicamenta. Incolas ut remunerarentur militibus russicis donasse lac recens et ova et cetera.

### **Fasciae bracchiales albae**

Qui photographemata mortuorum aspicit, animadvertisit multos mortuos gerere fascias bracchiales. Quae fasciae a Russis militibus geruntur ut notae indices; diurnarius Russus narrat multos homines Buchaenses tempore procedente etiam bracchiis suis circumvolvisse fascias bracchiales albas, ut Russis ostenderent suam benevolentiam. Mortui autem in viis prostrati gerunt fascias bracchiales albas.

Bucha postea occupata est a Chiovianis manipulis civium armatorum, quorum praefecti insignes sunt odio erga omnia Russica. Itaque haud alienum est conicere tales manipulos in oppido Buchâ massaliter trucidavisse concives, quos suspiciati sunt collaborasse cum exercitu Russorum.

At talia non audiuntur in mediis Germaniae diurnariis.

**THEODISCE RETTULIT  
THOMAS RÖPER  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

<https://www.compact-online.de/ukraine-der-krieg-der-viele-vaeter-hat-compact-debatte-mit-gerd-schultze-rhonhof/>



**JÜRGEN ELSÄSSER:** Salvete, cari spectatores ipsius *Compact-TV*. Hodie die Parasceues fit ultima emissio nostrarum disputationum strategicarum, quae spectant ad effectūs, quos habet conflictus Ucrainiae atque Russiae ad condicionem mundi et praecipue ad Germaniam. Die Martis post Festum Paschale denuo intereritis emissioni nuntiorum, c.t. „*Compact-Der Tag*“. Cum per totam hanc septimanam has quaestiones fundamentales tractaverimus, eidem finem imponamus colloquio, quod habituri sumus cum milite magni momenti, hoc licet dicere, Domino *Schultze-Rhondorf*, quem lectores nostri noverunt auctorem libri, qui inscribitur „*Bellum, quod habuit multos patres*“.

Sed antequam auctor libri factus es, apud Militiam Foederalem fuisti generalis harmaticus, in fine rude donatus es omnibus honoribus plurimum decoratus, a.1996 a *Gerhardo Schröder*, qui illo tempore fuit praeses Saxoniae Inferioris ministerialis. Tu enim fuisti generalis, qui spectavit ad eius terram foederalem, i.e. Saxoniam Inferiorem. Scilicet tu ea quae nunc fiunt aspectes visu strategi periti, sed etiam militis periti, et si verba audis qualia sunt ‚*Putinus aggressor*‘ et ‚*Putinus bellum suum ultiro effecit*‘, quonam modo de his verbis iudicas?

**GERD SCHULTZE-RHONDORF:** Scilicet ista iudicia sint valdē superficialia. Incohavit quidem *Putinus* hanc expeditionem, sed propriā ratione nihil fecit nisi continuavit bellum, quod iam ex 8 annis geritur in *Donbass*. *Chersonesus Taurica* et duae regiones *Donbassi* declaraverunt se esse autonomicas. Hoc autem habet suas origines prius factas, quae non effectae sunt a *Putino*, sed ab Ucrainiis ipsis. Ergo is qui culpam ad neminem convertit nisi ad *Putinum*, iudicat visu parum acri. Necnon ratione iniquā. Culpam alicuius belli non sōlum is contraxit qui idem incohat, sed etiam illi, qui idem effecerunt. Iidem autem sunt politici haud pauci ....

(min 26:00)

**JÜRGEN ELSÄSSER:** Restat ut ex te quaeram praefecto olim militum generali. Quonam modo iudicas de ratione Russorum bellicā? In occidente quidem dicitur ratio bellandi Putiniana insignis esse crudelitate incredibili, simul successu militari parum prospero. Itaque *Putinum* rigorem frontis bellicae eo effringere, quod curet bombas deiciendas et homicidia committenda indiscriminatim. Quonam modo tu, ut es vir militaris, de hac re iudicas?

**GERD SCHULTZE-RHONDORF:** ...Oportet primum dicam: deceptio, propaganda, disinformatio sunt rationes belli gerendi legitimae. Ergo si aut ii aut illi mentiuntur, ne nares corruges. Sed oportet intellegas, ubinam fallatur mendaciis. Mihi quidem apud nos mendaciis falli videtur pro ucrainianis. Nam non iam habemus nuntiorum relationem sensu Russorum. Ergo nuntios accipimus prorsus unilaterales. Ideo etiam recipimus omnes Ucrainiorum disinformationes. Sed alterum quaesivisti: Quid de crudelitatibus? Quod attinet ad facinora crudelia sive atrocitates, primo dicendum est secundum ordinem belli Haagensem et conventiones Genavenses personas civiles et urbes vicosque protegi a destructione atque morte. At eaedem tantummodo tam diu proteguntur, quamdiu abstinent a bello gerendo neque fiunt commilitones. Si enim tales fiunt, protectio tollitur. Si pugnatur de urbibus vicisque, delentur. At istud ipse *Selenskius* populo suo intrivit. Qui cives adhortans, ut plassarent \*pyrolagoenas Molotowianas sibique sclopeta compararent et belli fierent participes, sustulit protectionem hominum civilium. Necnon eo quod praescripsit, ut urbes ab urbanis defendentur, sustulit eorum protectionem. Iste autem ibidem domorum parietinis cineribusque aspectis oportet quaerat ex se

ipso, quantum culpae horum damnorum ipse contraxerit. Nec licet hanc culpam Russis attribuere. Nam Russi se gesserunt secundum ius gentium bellicum. Haec fuit prima res explicanda.

At nunc publica facta est res illa ***Buchaensis***. Post nonnullos dies nostri diurnarii occidentales unâ ferê voce omnes proclamant: „*Istud est scelus bellicum Russorum!*“ Evidem per complures dies aspectabam cinematata et scopocinemata et photographemata, quae dicuntur esse testimonia scelerum belli putativorum. Animadvertis prioribus in photographematis omnibus homines interfertos, qui iacent in viarum marginibus, gerere fascias bracciales. Qui sunt Russi! Num milites Russi in Ucrainâ sclopetando necaverunt homines civiles Russos? Verumne? Quâ de causâ? Hoc sanê mirum videtur atque alienum. Deinde vidi cinematatis partem a statione televisificâ Ucrainianâ emissam, in quâ autocinetum extraviale nonnullis cum militibus in parte posticâ sedentibus vehitur per viam Buchaensem, et a dextris et a sinistris prostrata sunt cadavera hominum. Semper aliquod cadaver panno detectum est. Cadavera autem monstrantur parum distinctê. Tum inveni etiam cinematum originale huius stationis televisificae ucrainianae. Hoc cadaver est panno obtectum, est etiam corpus Russi! Itaque quaero: Quanam de causâ ibidem Russi necaverunt Russos? Postea inveni cinematum, in quo Ucrainius qualis videtur fune longo usus cadaver post se tractum in viâ collocat.

Ista photographemata atque scopocinemata recepta sunt fraudulenter. Quidam vir mihi nôtus est ornator scaenarius. Qui me allocutus rogavit: „Domine *Schultze-Rhondorf*, quid tibi videtur de istis imaginibus? Ego sum ornator scaenarius. Imagine aspecto statim dixi: „*Haec est effecta et \*inscaenata*““. Hôc modo nos agimus in scaenâ.“ Ergo etiam homines rerum militarium imperiti animadvertunt hanc rem non rectê explicari. Evidem contendo has imagines ab Ucrainis esse \*inscaenatas. Istâ autem \*inscaenatione hominum animi sunt commoti. Inde ex illo tempore illa cadavera effecta esse dicuntur Russorum scelere bellico necnon omnia cadavera ubicumque inventa, omnes cumuli cadaverum, foveae cadaverum, explicantur effecta esse sceleribus Russorum bellicis. At verisimile est illos homines non esse interfertos scelere bellico, sed illos esse Ucrainios qui sclopeto necati sunt, quia belli participes fuerant et deinde terrâ obruti. Itaque Dominus *Selenskius* ex se quaerere debet, quantum culpae ipse contraxerit.

**JÜRGEN ELSÄSSER:** Cari spectatores, hac quaestione et explicatione vos dimittamus. Gratias ago plurimas Domino *Schultze-Rhondorf*, quod respondit mihi interroganti, necnon iterum in memoriam revoco eius opus, quod inscribitur „*Bellum, quod habuit multos patres*“.


**COLLOQUII QUOD JÜRGEN ELSÄSSER HABUIT  
CUM GERHARDO SCHULTZE-RHONDORF  
NONNULLA VERBA EXCERPTA  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

## DUO LOTICHII HUMANISTAE EXCELLENTISSIMI



[https://de.wikipedia.org/wiki/Petrus\\_Lotichius\\_Secundus](https://de.wikipedia.org/wiki/Petrus_Lotichius_Secundus)

**Petrus Lotichius Secundus** sive **Petrus Lotichius Minor**, nomine theodisco appellatus **Peter Lotz** (\* d.2. m.Nov. a.1528 in *Niederzell* prope *Schlüchtern*; † d.7. m.Nov. a.1560 *Heidelbergae*), fuit vir doctus et poeta neolatinus necnon professor medicinae *Heidelbergensis*.



[https://de.wikipedia.org/wiki/Johann\\_Peter\\_Lotichius](https://de.wikipedia.org/wiki/Johann_Peter_Lotichius)

**Iohannes Petrus Lotichius** (\*d.8. m.Mart. a.1598 in *Nauheim*, Comitatu Hanoviae; † 31. m.Mart. a.1669 in *Francofurti ad Moenum*) fuit Germanus humanista, medicus, poeta, historiographus.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

# INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num.<br>manda-<br>telae | ISBN              | TITULUS   | AUCTOR                     | TRANS-<br>LATOR | ANNUS | FORMA         | AMPLI-<br>TUDO | PRE-TIUM |
|----|-------------------------|-------------------|---|----------------------------|-----------------|-------|---------------|----------------|----------|
| 1  | 00104                   | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS<br>VERSUTI PALAEOINDICA  | Anonymus<br>(Old Indian)   | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,90  |
| 2  | 00104A                  | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS<br>VERSUTI PALAEOINDICA—<br>Libri audibles                                 | Anonymus<br>(Old Indian)   | Nikolaus Gross  | 2005  | Audio         | 21 min.        | € 22,90  |
| 3  | 00204                   | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII<br>ALLANI POE: CATTUS<br>NIGER -<br>RANUNCULUS - PUTEUS<br>ET PENDULUM | Edgar Allan Poe            | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 33 pp.         | € 27,50  |
| 4  | 00304                   | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO<br>BELLO BORUSSICO<br>FACTAE   | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 6 pp.          | € 17,90  |
| 5  | 00304A                  | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO<br>BELLO BORUSSICO<br>FACTAE –Libri audibles                           | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross  | 2004  | Audio         | 6 min.         | € 20,90  |
| 6  | 00404                   | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI  | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,90  |
| 7  | 00404A                  | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI –<br>Libri audibles  | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross  | 2005  | Audio         | 20 min.        | € 21,90  |
| 8  | 00504                   | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO  | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 14 pp.         | € 19,50  |
| 9  | 00604                   | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS   | Nikolaus Gross             | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 16 pp.         | € 19,00  |
| 10 | 00704                   | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS  | Diogenes Anaedoeus         | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 11 pp.         | € 19,50  |
| 11 | 00804                   | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI   | Diogenes Anaedoeus         | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,90  |
| 12 | 00904                   | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAЕ   | Bertolt Brecht             | Nikolaus Gross  | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 21 pp.         | € 22,00  |
| 13 | 01004                   | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM<br>REYNERI BERLBYN  | Henricus van den Lande de  | -----           | 2004  | CD-ROM<br>pdf | 7 pp.          | € 17,50  |


|    |        |                   |  |                            |                |      |            |         |         |
|----|--------|-------------------|--|----------------------------|----------------|------|------------|---------|---------|
|    |        |                   |  | Raelt                      |                |      |            |         |         |
| 14 | 01104  | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO                       | Nikolaus Gross             | -----          | 2004 | CD-ROM     | 21 pp.  | € 22,00 |
| 15 | 01204  | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIANAE 1  | Jacob Grimm/Wilhelm Grimm  | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 28 pp.  | € 24,90 |
| 16 | 00105  | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS   | Friedrich Dürrenmatt       | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 49 pp.  | € 31,90 |
| 17 | 00205  | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE                                   | Gerhart Hauptmann          | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 28 pp.  | € 24,90 |
| 18 | 00305  | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)                                   | Christoph Martin Wieland   | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 15 pp.  | € 19,50 |
| 19 | 00405  | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT                              | Johann Wolfgang von Goethe | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 82 pp.  | € 38,90 |
| 20 | 00505A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles  | M.T. Cicero                | -----          | 2005 | Audio      | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 00605A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles       | M.T. Cicero                | -----          | 2005 | Audio      | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 00705A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles                  | C.I. Caesar                | -----          | 2005 | Audio      | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106  | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ                                      | Nikolaus Gross             | -----          | 2006 | CD-ROM pdf | 87 pp.  | € 48,00 |
| 24 | 00206  | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM | Karl Friedrich Kielmeyer   | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf | 66 pp.  | € 38,00 |
| 25 | 00306A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles                  | C.I. Caesar                | -----          | 2006 | Audio      | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 00406A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles  | M.T. Cicero                | -----          | 2006 | Audio      | 41 min. | € 21,90 |

|    |                    |                           |   |                                    |                      |      |                   |         |         |
|----|--------------------|---------------------------|---|------------------------------------|----------------------|------|-------------------|---------|---------|
| 27 | <b>0050<br/>6A</b> | 978-3-<br>938905-<br>26-5 | EPISTULAE A SENECA AD<br>LUCILIUM SCRIPTAE 1 –<br><b>Libri audibles</b> | L.A.<br>Seneca                     | -----<br>-----<br>-- | 2006 | Audio<br>(2 CDs)  | 88 min. | € 27,90 |
| 28 | <b>00107<br/>A</b> | 978-3-<br>938905-27-<br>2 | <b>ASINUS AUREUS AB<br/>APULEIO SCRIPTUS</b>                            | Apuleius                           | -----<br>-----<br>-- | 2007 | Audio             | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | <b>0020<br/>7A</b> | 978-3-<br>938905-28-<br>9 | <b>OBSIDIO SAGUNTI A<br/>T.LIVIO DESCRIPTA</b>                          | Livius                             | -----<br>-----<br>-- | 2007 | Audio             | 53 min. | € 23,90 |
| 30 | <b>00307</b>       | 978-3-<br>938905-29-<br>6 | <b>FABELLAE GRIMMIANAE<br/>II</b>                                       | Jacob<br>Grimm/<br>Wihelm<br>Grimm | Nikolaus<br>Gross    | 2007 | CD-<br>ROM<br>pdf | 58 pp.  | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM**

**DUCENTESIMAM DUODESEXAGESIMAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Mercurii  
27. m.Apr. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**